

*suas dignitates in vos profundet, & ipsi non ab ea modo, quod tamen civi egregio & amanti patriæ satis esse plane debet, sed etiam omnibus ab hominibus laudabimini. nam qui acta civitatis nostræ conscribunt, vestra nomina suis libris inserent. ita virtutes & benefacta vestra legentur, aliis narrabuntur, per ora gentium & sæculorum pervagabuntur, nomenque vestrum æternitati commendabitur. Hac oratione a Lauredano habita, per plures cives ipsi & magistratibus se paratos obtulerunt, neque rei familiari, neque vitæ suæ parcere, ut salutis publicæ pro virili sua opem atque præsidium afferant. Ita comitia dimissa.*